ornamenta et secularium rerum dissolutiones, et religiosorum ac clericorum evagationes, perpendat ille, qui tantae multitudinis confluxum considerat. Si sanctissimo et divinissimo sacramento honor acceptus est tam saeculariter exhibitus, Deus, qui omnia novit, scit. Istis ergo finitis remeavimus in hospitium nostrum ad coenam.

Tricesima die ad ecclesiam S. Danielis navigavimus, et ibi Missam audivimus; post Missam ostenderunt nobis corpus integrum cujusdam S. Johannis martyris; illas ergo reliquias deosculati sumus et in domum reversi. Eodem die, facto prandio, multi peregrini colligatis sacculis suis navigaverunt in galêam, nec amplius in civitatem redierunt manentes in navi usque ad omnium exitum.

Tricesima prima die, quae est ultima Maii, mane surreximum et ad sanctum Salvatorem, ubi sunt Canonici regulares de observantia, Missis interfuimus. Postea barcam conduximus, et duci nos fecimus ad ecclesias, quarum patroni singulariter peregrinari volentibus necessarii sunt: quia jam recessus noster instabat et sanctos invocare volebamus pro adjutorio. Primo ergo navigavimus in ecclesiam S. Raphaëlis Archangeli, rogantes ibi deum, ut S. illum Archangelum nobis mittat inductorem sicut Tobiae. Deinde navigavimus ad S. Michaelem Archangelum, deprecantes (**B**) eum nobis ad conterendum omne nocivum, tam visibilium quam invisibilium hostium. Ab inde navigavimus ad S. Christophorum, eumque petivimus fieri nostrum bajulatorem per hoc mare magnum. Est enim inter Venetias et Murianam insula, in qua est ecclesia nova et pulchra S. Christophori cum monasterio Ordinis albi. In illo Monasterio est depicta una mappa mundi valde pulchra. Ab illa insula navigavimus ad ecclesiam S. Marthae hospitae Domini Iesu; et illam rogavimus, ut de honestis et bonis hospitiis nobis provisionem fieri procuraret, aut certe patientiam in defectu hospitii impetraret pro nostro longo itinere. Circa hanc ecclesiam sunt moniales albi habitus. Et his peractis in hospitium reversi sumus. Ecce quomodo ab evagatione etiam in civitate non poteramus nos continere! Posui autem solum honestas et sanctas evagationes, quas in civitate venetiana habuimus. Curiosas vero et minus utiles ignoro, quamvis saepe factae

121
119
125
115
130
110
170
070
220
020

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;